

superstitione in quæstionibus infinitis ac inutilibus ad suam ipsorum perniciem laborantes, non curant ea, quæ necessaria sunt, ut serventur.

23. Habemus Propheticum & Apostolicum sermonem, cui, rectè facimus, attendentes, tanquam lucernæ lucenti in loco caliginoso. 2. Pet. 1. 19.

24. Is verò disertè & graviter multis in locis attestatur, discretam temporis Consummationis seculi notitiam, hominum in hac vita nemini competere: ut quorum non sit nosse χρόνος ἢ κενερός tempora vel momenta. Act. 1. 7.

25. Et Servator ipse discipulis de eodem rogitantibus respondit: Deum potestati hoc suæ ita in solidum reservasse, ut diei illius & horæ, nec Angeli, imò nec ipse quoque filius (ex proprietate naturæ humanæ consideratus) notitiam habeat. Matth. 24. 26. Marc. 1. 3. 32.

26. Quod considerans Augustinus, Hesychio de fine seculi curiosius inquirenti, rectè respondit, se non audere spacia seculorum usque ad finem mundi vel metiri, vel enumerare, propterea quod scribatur de die illa neminem scire, neq; Angelos, neq; ipsum Filium.

27. Quoad confusam verò ac indiscretam notitiam haud planè in suspensio animos nostros relinquere Christus voluit, dum certa signa, termini si-
ve finis Mundi præsentia constituit.

Quo-